

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

LXVI. Additamenta De Iure Augusti It Italiam

urn:nbn:de:bsz:31-102564

rum necessitudine capiti suo coniunctos, et uno, quod neminem excipit, Imperio comprehensos. Quo loco numeroque sunt cuncti duces et principes, quos universa quidem Langobardia habet, quos Gallia Cisalpina et subalpina citra atque ultra Padum includit, quos Liguria et Etruria, non exclusis Genua et Luca urbibus, continet, quos denique omnes regni Veteris Italici reliquiae trans Apenninum complectuntur. Magnum ergo decus, nostra memoria, ad Germaniam accessit, quod LEOPOLDVS, instaurata per Italiam auctoritate, et recepto ad Padum castro *Casalensi*, regnum illud in obsequio confirmatum, ab externo dominatu liberavit, ac iure suo regio, quod in Italia obtinet, usus est, et collationes belli Italici causa imperavit, *Xenia* antiquo, nec dum antiquato Imperatorum iure exegit, lites Principum Italiae diremit, negotia successionis, tutelae, legibus composuit, regionum et finium controversias decidit, deque omnibus ad *regalia* pertinentibus more maiorum cognovit et iudicavit, ac munere tam iusto, quam omnibus Augustis glorioso perfunctus, non modo nullum *derelicti* signum, sed nullam quoque *derelinquendi* suspicionem praebuit, constituto per Italiam *fisci Imperialis Advocato*, ac demandatis Comiti Mediobarbo partibus, quas pro fide sua, et dignitate publica sustineret, regnique Italici clientelas, et partes earum atque accessiones, ex superiorum temporum caligine in lucem revocaret, perquireret, et summo Italiae iudici denunciaret: cuius rei, vindicatiue Caesarei ultra Alpes et Apenninum iuris monumentum Augusto vindici aeternum apud posteros extabit, et omnes quotquot futuri sunt, successores admonebit, AVGVSTOS non minuere Imperium, sed augere, id quod ante Leopoldum dixit, et simili exemplo comprobavit Fridericus IV. ex augusta Austriorum gente Imperator.

LXVI. ADDITAMENTA DE IVRE AVGVSTI IN ITALIAM.

Immunitas sive libertas, ut hodie vocant, ab oneribus, non eximit a summa imperii potestate, nec benigna privilegiorum concessio statim ius regum aufert, neque ommissio iurisiurandi fidelitatem prostratenus et obsequium tollit, aut vinculum nexumque beneficiarium solvit. Quod in controversia *Finariensi et Genuensi* usu probatum et confirmatum est, cum Imperatores in iure suo insisterent, haud secus atque in causa *Mantuana et Mutinensi* factum esse recordamur. Igitur in concessionibus Imperatorum et Regum Italiae non est locus coniecturae pro simplici donatione,

Yyyyy ?

quae

LXVI. IVS AVGVSTI IN ITALIAM.

quae fraudi sit summo atque *directo dominio* Imperatoris, quod semper exceptum intelligitur, cui derogare non potest, multo minus remittere obligationem fidelitatis. Natura enim imperatorii domini non finit, ut donatio temere praesumatur, in rebus praesertim ac iuribus, *vasallos ligios* complectentibus, quod superiores Iureconfulti in Italia fateri necesse habuerunt. Quare in formula pacti novissimi A. M DC XC. Augustae Taurinorum, inter Imperatorem, et Ducem Sabaudiae initi convenit, ut non solum dux ad foedus sincere servandum, sed etiam ad officium fidelis obedientisque Principis Imperatori praestandum sese obligaret. Exemplum iurisiurandi veteris hoc tale extat. *Ab hac hora in antea fidelis ero Imperatori per rectam fidem, secundum meum scire et posse. Non ergo in consilio, ut vitam aut membra perdat, Italicum regnum, et suam rectam potestatem intra regnum adiutor ero secundum meum scire et posse ad tenendum et defendendum contra omnes homines, qui sibi tollere voluerunt. V. Vetera monumenta Sebastiani Tengnager p. 380. Series Principum, lege beneficiaria Imperatori regi Italiae devinctorum, a Gurzveilero confecta, et non pridem a Io. Guilelmo Itero IC. edita, atque in librum eius de feudis imperii relata est, cap. VI. p. 262. seq. Verum praeter clientelas in regno Italiae inclusas, et Imperatori iure fiduciario obstrictas, aliae sunt ultra Italiam, in Latio et terris patrimonii, quas nihilominus Imperatores sibi vindicant, quarum nomine iam ab Henrici IV. Salsiqui temporibus, Augusti Imperatores pro auctoritate sua, et iure Caesareo propugnarunt.*

LXVII. DIVIS. IMPERII KAROLINI.



Quod per Caroli M. tempora latissime patuit Francorum regnum, tamdiu firmiter stetit et floruit, dum ab uno regebatur. Sed postquam exemplo non utili divisum est, ivit in partes, et bella deinceps exorta sunt, quae non minus familiam, quam regnum illud confecerunt.

§. II. Omnino autem dubitare licet, utrum Carolus tenero erga filios affectui indulserit, an rationem habuerit veteris Merovingorum divisionis, superiori Pipinianaе Gentis consuetudine repetitae, et proximo etiam Avi patrisque instituto confirmatae. Alterum iure inficior, alterum facile concedo, neque causam video, quamobrem excusari possit Carolus, si quidem dicere velimus, eum privata potius charitate, quam publicis exemplis eo fuisse inductum.

§. III. Vi-